









Disputatio III.

Continens duodecim Articuli II.

De Libero arbitrio

PROFORMULA  
CHRISTIANÆ  
CONCORDIÆ,

Quam assistente divinâ gratiâ  
SUB PRAESIDIO

Reverendi & Clarissimi Viri,

Dn. LEONHARTI  
HUTTERI SS. THEOL. D. ET  
Professoris in celebri Academiâ VViteber-  
gensi Publ. in Collegio disputationum Theolo-  
gicarum privato proponit & exhibet

CHRISTOPHORUS FRICCIUS  
Barchtorpiensis, Saxo.

Ad diem 13 Augusti, anno 1603. ho-  
ris pomeridianis.

VVITEBERGAE, Ex Officina Cratoniana.







VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, eruditione, virtute, &  
rerum politicarum usu præstantissimis*

Dn. FRANCISCO HAVSMANO  
I. U. L.

Dn. ERICO HEIDEMANO  
I. U. D.

Illustriss. Principi ac Domino Dn. ERNESTO Duci  
Brunsvic. & Lunæburg. &c. à Consiliis,



Dn. HENRICO SCHELIO  
Ejusdem Serenissimi Principis Consiliario &  
Quæstori generali,

*Patronis & Promotoribus meis perpetua obser-  
vantia colendis:*

*Hæc à me concinnatas Theses debite gratitudinis ergò  
demissè offero & consecro*

Respondens.







## THESIS I.



Secundum in Concordia nostra locum obtinet, qui de Humana libertate, vel Libero hominis arbitrio, est articulus, hac vice  $\sigma\upsilon\nu$  Θεω Theologica  $\epsilon\zeta\epsilon\tau$   $\alpha\omicron\sigma\theta$  subijciendus.

II.

Cuius quidem cum assertionem tum explicationem ab autoribus Concordiæ alius repeti, & purius posteritati tradi, vel maximè publica Ecclesiæ suadebat salus, summa necessitas exigebat: quandoquidem iste inter reliquos fidei veræ Christianæ articulos circa quos nonnulli, qui Augustana Confessione erant addicti, claudicârunt, primas facile obtinet: præsertim quando multis aliis, puta de Peccato, de Iusticia fidei, de necessitate bonorum operum, de Lege & Euangelio &c. faciem præfert: ita quidem ut hoc vel neglecto, vel non satis Orthodoxè intellecto explicatoq; nullorum non errorum seges, eaq; venè magna excrescat; uti certè inde crassus & absurdus error Matth. Flacij Illyrici (quod peccatum originis sit ipsa hominis substantia) pullulavit.

III.

Cæterum ut eò clarior sit insituta disquisitio, securi filum & scylum Concordiæ nostræ, sequentibus tribus capitibus totam articuli huius  $\delta\epsilon\zeta\omicron\delta\omicron\nu$  complectemur: 1. Statui controversiæ proprio ac legitimo dicatum erit: 2. Thesis sive orthodoxam Ecclesiarum nostrarum doctrinam firmis & immotis scripturarum fundamentis astruet: 3. Antithesin sive falsas & erroneas de eodem articulo opiniones κεφαλαιωδῶς denudabit.

## CAPUT I.

### Status Controversiæ.

I.

Ac initio quidem quod statum controversiæ attinet rectè definiendum: duplex distinctio necessariò observanda venit: quarum prior in diversis hominum statibus: posterior in distinctis humanarum actionum generibus probè explicandis perpendendisq; occupatur.

II.

Secundum priorem distinctionem homo respectu temporis consideratur vel in statu integritatis ante lapsum, vel in statu corruptiæ post lapsum. In

A 2

post-



posteriori statu triplex occurrit respectus; alia enim eius est ante regenerationem conditio: post regenerationem item alia: demq; alia post resurrectionem.

III.

Quid potuerit homo in integritatis ante lapsum statu, hoc in articulo non controversatur: quæ illius sint in tertio, qui conversionis est, statu, vires, similiter in disceptationem propriè hinc non venit: neq; de quarto hominis statu, quale liberum arbitrium homo post resurrectionem in vita æterna habiturus sit hoc loco principaliter disquiritur: in eo autem dissensionum cardo veritur, Quidnam possit homo in & cum peccato originali à parentibus natus: & à Spiritu sancto nondum renatus: sed in statu corruptionis, merè consideratus.

IV.

Ex distinctione posteriori actionum: humanarum: alia mundanae sunt: alia: spirituales sive Ecclesiasticae.

V.

Mundanarum quidem actionum, alia sunt naturales, & partim homini cum brutis animantibus communes, ut edere, bibere, moveri, generare &c. partim vero hominis propriæ, ut loqui, ratiocinari, disserere &c. alia morales quæ ad terrenam conversationem & civilem societatem pertinent, uti sunt politica, Oeconomica, mechanica &c.

VI.

Spiritualium sive Ecclesiasticarum actionum quaedam sunt externa in oculos ac sensus incurrentes: quales sunt auditus & aliqua meditatio verbi divini: cantus psalmodum: demurmuratio oralis precum: ceremoniæ externæ &c. Nactæ sunt hæc suam appellationem à fine, ad quem contendunt, & cui acquirendo in merè Spiritualibus, quoad usum externum, subserviunt, quo etiam respectu à mundanis dicuntur discrepare. Quedam vero sunt interna ac propriè spirituales, quæ directè cælestia & vitam æternam respiciunt: ut fides in Christum: assensus verbi divini, conversio ad Deum &c.

VII.

Naturalium civiliumq; actionum sicut & Ecclesiasticarum externarum præfenti in controversia vel nulla vel exigua habetur ratio: sed de spiritualibus propriè sic dictis, & animarum salutem in eo Deo concernentibus, duntaxat agitur.

VIII.

Vnde iam status controversiæ verus ac legitimus emergit, qui desinente Concordiæ libro talis est: Num homo propriis viribus mentis & voluntatis antequam per spiritum Dei fuerit regeneratus, sese ad gratiam Dei applicare, atq; præparare



parare: & gratiam divinam (qua illi per Spiritum sanctum in verbo & sacramenti divinitus instituti offertur) accipere & apprehendere possit?

## CAPUT II.

### Dei sive Affirmativa.

#### I.

Atq; hoc primum est instituta disputationis caput ipsum controversia statum metis suis circumscribens, cuius negativam Concordia nostra, orthodoxè disferens, per omnia tenet; idq; (ut deinceps iam dicetur) 1. sub mentis sive intellectus: 2. Cordis sive voluntatis hominum consideratione: & 3. sub modi ordinisq; qui in conversione nostra animadvertitur, explicatione. Nos vestigiis hisce insistemus: si prius de liberi arbitrii naturâ pauca quaedam in medium attulerimus.

#### II.

Vbi initio observationem meretur, quod liberi arbitrii vox è Philosophorum Scholis ad doctrinam Ecclesiae traducta, primo hominis statui quem integritatis nominare solemus, propriè ac unicè competat. Graeci appellant ἀυτεξουσίαν quod est suae potestatis aut sui juris. Vnde licet tituli huius insolentia facillè intelligatur haud tamen propterea ille, quippe longo iam tempore in Ecclesia receptus, abrogandus & tollendus fuerit: cum non statim propter strictiorem magisq; propriam vocabuli significationem latior & minus proprius eius usus penitus sit antiquandus: Sic enim usui vocabulorum (Imaginis Dei, Iustitiae originalis & similium) nuncius esset remittendus. Quid? quod vix ac ne vix quidem datus est vel dari potest alius commodior titulus, qui similem arrogantiam non incurrat, eodemq; cum periculo (si quod est) non sit coniunctus.

#### III.

Definitionem Liberi Arbitrii (licet aliis alia placeat) damus istam: Liberum arbitrium est actus mentis & voluntatis, quo inter res obiectas, tam bonas quam malas, pro libitu ab homine fit electio.

#### IV.

His ἀεγολεγομένων quasi loco delibatis, tria, quae in secundo hoc capite iuxta tenorem Concordiae nostrae attigimus, persequemur. Primum erat de mente & intellectu quem in rebus spiritualibus, καὶ ἐξουσίαν ita appellatis, prorsus nihil posse, categoricè asseverat dicta Concordia.

#### V.

Neque hoc nimium θεασέως aut prater rem cuiusdam dictum videbitur. Etsi enim in mente humana (quod & nos ἀσμένως concedimus) ex lumine natura



tura superest adhuc quædam Dei cognitionis scintillula: quemadmodum sanè D. Paulus quoq; gentibus nondum conversis & τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχουσιν Rom. 1. v. 18. tribuit vim ex creatis rebus aliquam Dei notitiam investigandi, ibid. v. 20. imò asserit eosdem Οὐσὲρ τὰ Ἰσ νόμῳ ποιεῖν cap. 2. v. 14: Interim tamen illud quicquid est sive notitiæ sive actionis, & multis modis mancum est, & imperfectum: atq; à salvifica Dei agnitione benè longo intervallo adhuc distat & discrepat. Proinde verissimè statuimus ista omnia ad conversionem efficiendam haud quicquam facere. Cuius rei veritatem fundamentis divinorum scripturæ sacræ oraculorum superadificat Concordia.

#### VI.

Et primum quidem offert sese insignis & classicus iste locus, qui extat 1. Cor. 2. v. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: Stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, quod spiritualiter dijudicantur. Hic Apostolum Paulum humanis viribus omnem facultatem in rebus spiritualibus adimere, colligimus hunc in modum: Si animalis homo non capit nec comprehendit ea, quæ sunt Spiritus Dei, vel non est capax rerum spiritualium: multo minus Evangelio credere aut assentiri poterit. Prius verum est teste Apostolo loco iam citato. Ergo &c.

#### VII.

Nec est ut quis de Atheis & rerum divinarum contemptoribus Paulo sermonem esse obtendat: siquidem indeterminatum hic est atq; omnes homines ante conversionem signans subiectum, Ψυχικὸς ἄνθρωπος & animalis vel animæ rationali præditus, qualis nimirum à parentibus est genitus. Sumus enim omnes Ψυχικοὶ, tum quod gestamus τὸ σῶμα Ψυχικόν 1. Cor. 15. v. 44. tum quod sensus carnis nostræ & sapientia Ψυχικὴ Iacob. 3. v. 15.

#### VIII.

Deinde non minus quoq; validum argumentum exinde peti potest, quod Scriptura de homine nondum renato affirmat, quod sit in peccatis mortuus. Quemadmodum enim homo qui corporaliter mortuus est nihil opis asserre valet ad sui resurrectionem: ita homo spiritualiter in peccatis mortuus seipsum propriis viribus ad consequendam spiritualem illuminationem, regenerationem ac vitam præparare, vel accommodare non potest, nisi per Spiritum sanctum à morte peccati liberetur & vivificetur.

#### IX.

Alterum quod in secundo capite sub considerationem venit, est de cordis vel voluntatis conditione. Quæ quidem obscura esse amplius vix potest, modo illa, quæ de intellectu dicta sunt, accuratius perpendantur. Quod si enim ab illo quod magis videbatur inesse, ad id quod minus inest, negativè progrediamur, satis liquet quo null



nulla possit competere voluntati in spiritualibus *δύναμεις*, si ne percipere quidem illa vel cogitare queat: ideoq; si non intelligere spiritualia, multo minus eadem velle, vel assentiri illis, nedum ullo usquam modo spiritualia perficere potest. Vnde Concordia quoq; nostra de voluntate hominis hunc in modum differit: Illam non tantum à Deo esse aversam: Verum etiam inimicam Deo & adversam factam: ita ut tantummodo ea velit & cupiat, iisq; delectetur, quæ mala sunt, & voluntati divine repugnant.

X.

Pertinent huc verba Gen. 6. v. 5. & cap. 8. v. 21. quibus Spiritus S. disertè testatur figmentum cordis humani tantummodo malum esse ab adolescentia sua. Vbi inter alia observationem probè meretur particula Hebraea exclusiva *לֹא* tantum tantummodo, solummodo. Hæc enim homini in statu corruptionis considerato, nihil prorsus relinquit aliud, nisi quod malū est, & divine voluntati adversum. Deinde facit etiā huc *ἐπιφρασις* vocula *ἄρ* à radice *ἄρ* descendens, quæ studiosam, quæ sit animo, fictionem cogitationemq; denotat; ut ita ex ipsa fontis proprietate omnis motus & actio cordis, & quod in illo optimum videtur esse, malum, & quidem tantum malum pronuncietur.

XI.

Suffragatur hisce Epist. ad Rom, c. 8. v. 7. τὸ *φρόνημα* inquit. *Ἦς σαρκὸς ἐχθρὰ εἰς Θεὸν*; quibus in verbis duæ cum primis voces accuratam merentur considerationem. Quid enim aliud per vocabulum *φρόνημα* D. Apostolus intellectum vult, quam supremas in homine vires, conatus, motusq;? ea enim vocabuli huius & ipsius thematis verbalis (*φρονέω*) vis est & proprietas. Atqui ista omnia non tantum inimica Deo esse & adversa, sed ipsam esse *ἐχθρὰν εἰς Θεὸν* Apostolus disertè pronunciat. Quibus sic stantibus, quod homini nondum regenerato in apprehendenda sibiq; vel minima ex parte applicanda Dei gratia, relictum sit, profectò nihil est.

XII.

Atq; sic ex immoto Dei verbo ostendit Concordiæ liber hominū nondum renati liberum arbitrium in rebus verè spiritualibus nullum esse; unde tertium iam emergit: Quomodo igitur hominis regeneratio & ad Deum conversio se habeat, quanam ordo & modus, quanam & quot causæ eiusdem sint constituendæ?

XIII.

Ad eam verò dicta concordia hunc in modum respondet: Conversionem hominis operari Spiritum sanctum non sine mediis: sed ad eam efficiendam uti prædicatione & auscultatione verbi Dei.

XIV. Duas



## XIV.

Duas nimirum conversionis causas ponit; efficientem ἀρχικὴν unam: alteram ὀργανικὴν; illa spiritus sanctus est: ista verbum Dei & sacrament a.

## XV.

Et initio quidem causam conversionis efficientem nondum venatorum, solum Deum sive Spiritum sanctum esse, sequentia manifestè evincunt. Phil. 2. v. 13. Deus operatur in nobis velle & perficere. 2. Cor. 3. v. 5. omnis sufficientia nostra ex Deo est. Iob. 6. v. 29. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. 1. Cor. 4. v. 7. Quid habes homo quod non accepisti &c? Deut. 29. v. 4. & Matth. 13. v. 14. & seq. Deus est qui donat cor intelligens, oculos videntes & aures audientes.

## XVI.

Deinde quia Spiritus sanctus (si ordinariam spectemus actionem) nunquam ἀμέσως & ἐνδοσιασικῶς: sed semper ἐμμέσως & ἀκρυσικῶς conversionem hominis operatur, verbo tanquam causa organica sive instrumentali ad animos nostros emolliendos & innovandos utitur: id quod passim scriptura confirmat. Instar omnium esse possunt ista ex novo Testamento de promta. 1. Cor. 1. v. 21. inquit Apostolus: Postquam in sapientia Dei non cognovit mundus Deum: visum est Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Rom. 10. v. 17. Fides ex auditu est, auditus autem per verbum. Rom. 1. v. 16. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti ad Tit. 3. v. 5. Salvos nos fecit per lavacrum &c.

## XVII.

Quibus ita stantibus nullo negotio colligitur quæ fiat quod plurimi non concipiant fidem, & convertantur ad Deum. Culpa enim non hæret in Deo, ex quo & in quo non perditio nostra: sed salus est Hos. 13. v. 9 verum in ipsis hominibus, qui medium hoc per quod Deus conversionem & fidem operaturum se promisit, vel planè aspernantur, vel non eo, quo debebant modo, audiunt vel tractant.

## XVIII.

Neq; est ut quis obijciat nihil prodesse auditum verbi divini, cum etiam vix centesimus auditorum convertatur: & Servator ipse Matth. 13. v. 23. & Luc. 8. v. 15. quartam demum auditorum partem salvatum iri, discretis verbis attestetur. Culpa enim omnis similiter hic non ex Deo sed ex ipsis auditoribus dependet, quorum multi verbum oblatum quidem audiunt: sed erronea quadam opinione demerati, falsitatis id secum arguunt: multi etiam conciones rectè docentium calumniandi & blasphemandi studio audiunt: multi etiam convicti veritate tamen cedere nolunt: ut nihil dicamus, quomodo nonnulli in gratiam aliorum agnitos etiam errores strenuè propugnent: nihil item de aliis impedimentis, quæ ex modo allata Servatoris parabola colligi queunt, differamus.

Qua



## XIX.

Qua ipsa in parabola attentionem vel maximè meretur, quod causa quoq; impediens (quæ profectò apud quam plurimos invenitur) fructificationis divini verbi sint spinae curarum & voluptatum huius seculi. Talibus remoris implicatus erat prædices iste adolescens Matth. 19. v. 21. & 22. qui cum non longè abesset à regno Dei, victus tamen avaritia audito verbo Christi non obsecundavit.

## XX.

Imò alij peccandi habitum quendam sua culpa sibi contraxerunt, ut peccata, quæ alias homines non renati propriis viribus adhuc vitare possunt, securè committant, & captivi trahantur laqueis Satanae iuxta omnem voluntatem eius 2. Tim. 2. v. 26.

## XXI.

Hi omnes, si per auditum verbi non consequantur fidem, non Deum, sed semetipsos accusent, quod iam indicatis modis, vel etiam pluribus aliis, soli Deo notis, fructificationem illam seminis impedierunt.

## XXII.

Cæterum hominem non renatum ex propriis viribus verbum Dei audire posse, & quidem attentè aliquo externo discendi studio adhibito, Concordiæ liber evidentissimis Scripturarum testimoniis motus, dilucidè affirmat, quando de non renatorum conversione, quomodo ea efficiatur hunc in modum disserit: Hoc Dei verbum homo etiam nondum ad Deum conversus, nec renatus, externis auribus audire & legere potest &c. Et post pauca: Vterq; (concionator & auditor) certò sciat, si verbum Dei iuxta mandatum & voluntatem Dei purè & sincerè prædicatum fuerit, & homines DILIGENTER & SERIO auscultaverint, illudq; meditati fuerint, certissimè Dominum gratia sua præsentem adesse, & largiri ea, quæ homo alias suis propriis viribus neq; accipere neq; dare potest.

## XXIII.

Et hoc est quod Propheta Amos innuit, quando cap. 8. v. 11. hominibus etiam non renatis ascribit famem & sitim audiendi verbum Domini. Quod ipsum & Paulus Apostolus confirmat, quando Rom. 10. v. 2. de infidelibus testatur quod Zelum Dei habeant, quamvis non sit κατ' ἐπίγνωσιν. Sic Herodes libenter (ἡδέως) audiebat Iohannem Marc. 6. v. 20. Sic Paulus Sergius desiderabat (ἐπεζητήσεν) audire sermonem Dei Act. 13. v. 7.

## XXIV.

Neq; tamen hoc modo συνέργειος voluntatis confirmatur, id quod ex collatione doctrinae synergisticae cum nostra dilucidè patet. Nam secundum Concordiæ sententiam viribus hominis nondum renati externus duntaxat auditus, & externum studium:



Studium tribuitur: secundū Synergistarum verò opinionem etiam facultas quaedam quamvis languida verbo predicato & audito assentiendi, ad conversionem se preparandi, imò Spiritui sancto cooperandi eidem ascribitur: Vnde in illorum Scholis, & disputationibus natae sunt formulae: Modiculum post lapsum superesse: posse hominem ἰσχυρῶς verbo Dei assentiri: Adesse viribus humanis Modum agendi, capacitatem & aptitudinem assentiendi verbo illudq; conservandi, & si quae sunt alia.

XXV.

Hec vero Concordia nostra simplicissimè negat, statuens auditum illum externum ad conversionem hominis ex se, nihil prorsus facere, (cum neq; qui audiat sit aliquid, neq; qui velit, neq; qui currat) sed eandem in solidum dependere ex misericordia operantis Dei, qui incrementum verbi, hoc est, salutarem eius notitiam ac fidem verbum Dei attentè audientibus, & aliis modis fructificationem eius non impediens conferre pollicitus est.

XXVI.

Hec de causis conversionis nostrae: Ex quibus ordo & modus quem Deus in convertendis hominibus observare solet facitè intelligitur. 1. enim Deus ex mera gratia & misericordia vocat universum genus humanum non quidem absolutè & ἀπείρως vel βίβλιως, sed ἐμπέσως, per predicationem videlicet verbi sui. 2. Verbum hoc predicatum vult audiri & quidem attentè cumq; discendi studio. 3. Huic sermo auditui pro beneplacito benedicit Deus, (non uti dictum ex debito, sed ex mera misericordia & gratia) eo modo, ut sequatur hominis illuminatio & conversio.

### CAPUT. III.

#### AVT:ΘΕΩΣ sive Negativa.

I.

His ita presenti in articulo tanquam Christiana εὐδαιμονίας medio constitutis: reliquum est ut ab extremis quae utrinq; occurrunt, quam longissimè recedamus: & tam veterum quam recentiorum doctorum somnia κατὰ τὴν ἐπιβολὴν καὶ ἐκκέρψιν se habentia, evitemus.

II.

Notatur autem ex parte excessus error 1. Pelagianorum qui docuerunt hominem se propriis suis & naturalibus viribus sine Spiritus sancti gratia posse ad Deum convertere. 2. Semipelagianorum hoc est Romanensium Scholasticorum & Synergistarum: qui Spiritum sanctum conversionem inchoare quidem concedunt: sed ita, ut simul concurrat voluntas hominis, qui propriis suis viribus aliquid in perficienda illa conversione cooperetur: Item hominem post regenerationem legem Dei perfectè implere posse &c. diducunt.

III. Ex



III.

Ex parte defectus occurrit error 1. Stoicorum & Manichaeorum, qui libertatem & contingentiam rerum etiam externarum tollentes, omnia necessario fieri statuerunt: 2. Enthusiastarum, qui Deum ἀπεύθεως absq; verbi auditu & sacramentorum usu conversionem operari fingunt: 3. Flacianorum, qui in conversione ipsam hominis substantiam aboleri, & in aliam novam creaturam permutari somniant.


IV.

Quas omnes, & si qua illis similes sunt, opiniones, tanquam ab ὑγιαινόντων λόγων forma omnino discrepantes, imò verò manifestè impias, nos rejicimus: atq; interim regia via, quam prae lucente verbi divini face, semel ingressi sumus, ambulare pergimus; qua in eadem ut Altissimus nos clementer ad finem usq; vitae conservet, & errorum tenebras caelesti luce dispellat, proculq; abigat, toto pectore precamur.

Μόνω Θεῷ δόξα.












Continet  
De Lil  
P R O  
L A C  
C O  
*Quam as*  
S U B  
*Reveren*  
Dn. LE  
HUTTERI  
Professoris in c  
genfi Publ. in C  
gicarum p  
CHRISTO  
B  
*Ad diem*  
r  
VVITEBERG



5

